Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

col. 277. hoc ingreſſu: *Qui ad conuiuium magnum inuitantur* &c. Ad calcem iterum prolapſus eſt Scriba: *Iſte eſt finis tercij libri de viduis Beati Ambroſij.* Non videtur *Maurianis* Codex *de Viduis* inſcriptus occurriſſe.

V. *fol.* 293. *Hic liber intytulatur de perpetua virginitate Marie beati Ambroſij.* Atque hanc eſſe Codicum mſſ. inſcriptionem teſtantur *Mauriani* in *Admonit.* praevia T. *cit. col.* 247. Edita vero praeferre: *De Inſtitutione Virginis ad Euſebium.* Initium eſt: *Commendas mihi pignus tuum* &c. Perorationi, quae in Edit. conſtituit *Caput* XVII. et infit: *Nunc ad te decurſis omnibus* &c. Miniator noſter liberaliter praemiſit: *Oratio beati Ambroſij cum gratiarum actione profuſa de chriſti ortu et conceptu de virgine, et pro ſacrate virginis deuota commendatione.* Ubi tu non B. *Mariam*, ſed *Ambroſiam* puellam intellige, quae virginitatem Deo voverat.

VI. *fol.* 304. p. 2. *Incipit liber beati Ambroſij Epiſcopi de Exceſſu fratris ſui ſathyre.* (Satyri). Initium eſt: *Deduximus Fratres dilectiſſimi hoſtiam meam* &c. Sequitur etiam *Liber* II. titulo *De Fide Reſurrectionis. Superiore libro aliquid indulſimus deſiderio* &c. Prout extant T. *cit. col.* 1113. In univerſum Codex et a prima manu et a curis ſecundis ſatis caſtigatus et Editis conformis eſt.

Ad Thecam ejus interius utrinque conveſtiendam arreptae ſunt Membranae ſplendidi Codicis literis uncialibus hebr. absque punctis deſcripti et marginibus picturati, ubi ex uno latere Sponſi anulum praeferentis, ex altero Sponſae icon viſitur, unde de Nuptiis Tractatum fuiſſe putem autore *R. Schalom f. Menachem*, de quo nihil apud *Wolfium.* Initium eſt

ששי בשבת בחמשה ימ---
אלפים ומאה וחמשים
ושתים לבריאת עולם &c.

CCXCIII.

Codex chartaceus lat. germ. U. 98
Sec. XV. Folior. 300. 4. plurimum currente calamo a diverſis exaratus, miniatus, et, ut membrana praevia docet, legatus Univerſitati Varia complectitur, quae hic indicantur: I. eſt Regimen, uti vocabant, Sanitatis illuſtri cuidam Perſonae commendatum, quod incipit: *Omnipotentem deum et dominum noſtrum ieſum chriſtum humiliter invoco, ut ſit michi indigno baccalario ac phiſico auxiliator ad ſatisfaciendum Vobis in omnibus articulis Vobis vtilibus pro conſeruacione ſanitatis pro quibus me diligenter petiuiſtis.* Recenſet dein *quatuor* Utilia, et *decem* Noxia ſaluti. Inter priora eſt *bonum Regimen Sex rerum non naturalium*, quae deinceps totam paginam faciunt, inter poſteriora *frequens minutio et excretio ſanguinis, bibere ieiuno ſtomacho, ſedere diu in menſa et longa ſeſſio ſerotina*, et *noua brodialia nimis pinguia* &c. Medicamenta ſub finem duo tantum commendantur *Tragea confortatiua* ſeu *ſaluatoris* e glandibus, foliis quernis, zinzibere, cinnamomo,